

INDEX CAPITUM PROLEGOMENI PRIMI.

DE REQUISITIS AD FORMALEM LIBERTATEM, ET USUM LIBERUM.

- CAP. I. *De nominibus naturæ et liberi arbitrii.* Deo ita moveri, ut ex necessitate, et non libere velit.
- CAP. II. *Quæ sint necessaria, ut potentia sit libera et libere operetur.* CAP. V. *Quibus modis possit Deus facere ut voluntas necessario velit objectum actuali iudicio rationis indifferenter propositum.*
- CAP. III. *Utrum recte describatur potestas libera esse, quæ positis omnibus prærequisitis ad agendum potest, agere et non agere?* CAP. VI. *Quæ necessitas antecedens, vel consequens, seu in sensu composito vel diviso, repugnet libertati, aut illi non noceat.*
- CAP. IV. *Utrum voluntas exposita, cum omnibus prærequisitis ex parte intellectus ad libere volendum, possit a*

PROLEGOMENUM PRIMUM.

DE REQUISITIS

AD FORMALEM LIBERTATEM

ET USUM LIBERUM.

CAPUT I.

DE NOMINIBUS NATURÆ ET LIBERI ARBITRII.

1. Quia libera natura gratiæ fundamentum est, et gratia perfectio et sanitas est naturæ, ideo disputatio de gratia cognitionem aliquam talis naturæ supponit, propter quod solent gratia et natura seu liberum arbitrium, non tantum in disputatione ipsa, sed etiam in titulo totius operis conjungi, sicut Augustinus librum unum de *Natura et gratia*, et alium de *Gratia et libero arbitrio* scripsit. Propter hanc ergo causam, necessarium est in ingressu hujus materiæ supponere quid nomine naturæ et liberi arbitrii intelligamus. Nam philosophi in libris de physico auditu de natura disputant, prout principium est motus et quietis; in præsentem vero non in ea latitudine sumitur, sed prout dicitur per antonomasiam de intellectuali seu rationali natura, quæ principium est moralium operationum, quibus æterna beatitudo comparatur vel amittitur, ad quem finem sola intellectualis natura per gratiam ordinatur; et ideo dixit Augustinus, libr. 1 contra Julian., cap. 3, solam rationalem naturam esse gratiæ capacem. Loquitur autem de rationali prout intellectualem complectitur, quia tam angelica quam humana natura capax est divinæ gratiæ, quia utraque libera est. *Gratiam autem* (ut ait Bernardus de Gratia et libero Arbitrio) *nec dare potest nisi Deus, nec capere nisi liberum arbitrium*, id est, natura libera; illa enim indiget ut supernaturalem finem assequatur. Quia vero humana natura et nobis est magis familiaris, et pluribus titulis ac modis indiget gratia

quam angelica, ideo de rationali natura sermonem semper faciemus; doctrina vero facile poterit ad angelicam cum proportionem applicari; nam ubi ratio diversitatis intervernerit, non difficile intelligetur, eamque indicare curabimus. Non loquimur autem nunc de natura humana prout a supposito distinguitur, nec de statu illo plus quam humano quem in divino Verbo per hypostaticam unionem obtinuit; nam prior naturæ speculatio metaphysica est, nihilque ad præsentem causam spectat; alterius vero mysterii consideratio altior est, quam suo loco pro viribus prosecuti sumus. In præsentem ergo naturam humanam, quatenus in persona creata capax est gratiæ, illaque ad bene operandum et ad suum finem consequendum indiget, consideratur.

2. Est autem ulterius advertendum gratiam perficere naturam, præcipue quatenus humanorum ac liberorum actuum principium est. Unde fit ut liberum arbitrium et gratia tam sint habitudine et officio conjuncta, ut non possint disputatione sejungi, ut satis indicavit Augustinus, dicens: *Si non est Dei gratia, quomodo Christus salvat mundum; et si non est liberum arbitrium, quomodo judicat mundum*; et libr. 3 Hypognotic., cap. 11: *Neque gratia sine libero arbitrio facit hominem habere beatam vitam, nec liberum arbitrium sine gratia*; et Bernardus, de Gratia et libero Arbitrio: *Tolle liberum arbitrium, non erit quod salvetur: tolle gratiam, non erit unde salvetur*. Unde præcipua hujus materiæ difficultas in concilianda gratiæ necessitate ac efficacia cum libertate arbitrii posita est, et ignorantia hujus concordiæ fere omnium errorum, qui in

hac materia fuerunt, radix et origo fuit. Oportet ergo ante significationem gratiæ quid nomine libertatis et liberi arbitrii significetur præmittere.

3. *Triplex libertas, sed illa, quæ est a necessitate, est propria libertas moralis.*—Et imprimis præmittenda est distinctio triplicis libertatis, quam sic tradit Hugo Victorin., in Sum. sentent., tract. 3, capit. 9: *Est namque (ait) triplex libertas, a necessitate, a peccato, a miseria.* Nos vero aliter illa membra numeramus; est enim libertas a servitute, a coactione, et a necessitate, ex quibus sola hæc tertia est propria libertas moralis ad humanos actus laude et reprehensione, præmio aut pœna dignos necessaria: unde illa sola simpliciter nomen libertatis meretur; reliquæ enim eatenus libertates appellantur, quatenus alicui necessitati opponuntur. Servitus enim quamdam parendi necessitatem inducit, et ideo carentia servitutis libertas appellatur Roman. 8: *Liberabitur a servitute corruptionis.* Potest autem servitus esse vel peccati, vel pœnæ: sicque carentia culpæ et remissio pœnæ dici potest libertas quædam a peccato seu peccati servitute, juxta illud Roman. 7: *Cum servi essetis peccati, liberi fuistis justitiæ; nunc autem liberati a peccato, servi autem facti Deo, habetis fructum in sanctificationem;* et 2 Cor. 3: *Ubi spiritus Domini, ibi libertas.* Unde etiam Aug. 4 de Civit., cap. 2: *Bonus (inquit) homo, etiamsi serviat, utique homini, liber est, scilicet a peccato; malus autem, etiamsi regnet, servus est, nimirum peccati.* Et ad eundem modum libro decimo-quarto de Civit., capit. decimo-quinto, dixit primum hominem peccando amisisse libertatem, quam concupivit. Non enim libertatem a necessitate concupierat, nam illam a principio habuit, et ita neque illam amisit, sed libertatem a subjectione appetiit, et hanc amisit, quia et peccati, et pœnæ, et miseriæ servus factus est, et contraxit concupiscentiæ inordinationem, et pugnam fomitis, quæ servitus quædam pœnalis est. Atque ad hanc significationem reducitur omnis carentia obligationis seu debiti, sive a lege, sive a quacumque alia causa proveniat: sic enim dispensatio vel exemptio a lege libertas quædam censetur; unde etiam privilegium nomine libertatis vocari solet; et cui aliquod debitum remittitur, liberari ab illo dicitur. Si quis autem recte consideret, tota hæc libertas supponit propriam libertatem a necessitate, quia non est capax propriæ servitutis culpæ aut pœnæ, præcepti

aut obligationis, nisi persona libera in agendo; ideoque sicut propria privatio supponit aptitudinem, ita servitus et obligatio supponunt personam aptam ad operandum cum indifferentia, et absque necessitate. Quia vero operationes a necessitate liberæ possunt esse sub jure alterius, vel sub aliquo onere et obligatione, ideo cum libertate a necessitate potest esse in operibus necessitas servitutis et obligationis, seu (quod idem est) potest quis per legem vel servitutem privari libertate illis contraria, et nihilominus retinere propriam operum libertatem.

4. *Coactum idem fere quod violentum.*—Coactum idem fere est quod violentum, utrumque enim est contra internum appetitum patientis vel operantis; sed violentum generalius dicitur de quocumque motu contrario appetitui, sive elicito, sive innato, coactum vero proprie dicitur, quando appetitui elicito et vitali repugnat, licet interdum soleant voces illæ confundi. Duo ergo ad coactum requiruntur, scilicet, ut ex necessitate fiat vel sustineatur, et quod sit contra internum affectum, et ita coactio est quædam necessitas, et aliquid ultra illam addit. Utrumque ex Aristotele, 3 Ethic., cap. 1, colligitur, dicente *violentum esse*, quod est *ab extrinseco, passo non conferente vim*, id est, resistente aliquo modo, ut omnes exponunt ex eodem Aristotele, 2 Ethic. ad Eud., cap. 8; quia si passum non resistat, motio non erit violenta, etiamsi ab extrinseco proveniat. Coactum ergo, ut tale est, non potest esse ab intrinseco, alioqui non esset contra propriam inclinationem; si autem est ab extrinseco, eo ipso necessarium est; quia libertas a necessitate non est in patiando, sed in agendo, ut infra probabo: ob hanc ergo causam et coactum includit necessarium, et quod non est a coactione liberum, ut tale est, non potest esse a necessitate immune. Propter alias vero conditiones non convertitur coactum cum necessario, multa enim necessaria sunt quæ contra internum appetitum non sunt, imo ex illo sæpe nascuntur. Et ob eandem rationem libertas necessitatem excludens universalior est libertate soli coactioni opposita; nam omnis libertas a necessitate est etiam a coactione exempta, non vero e contrario, ut per se notum est; dilectio enim Dei in patria a coactione libera est, non tamen a necessitate.

5. Libertas ergo a sola coactione tantum requirit carentiam violentiæ, ita ut motio quæ sic libera dicitur, contra internum appetitum

non sit, sive ex necessitate fiat, sive non. Talis autem motio, si sit voluntatis, dicenda est potius voluntaria quam libera. Hæc namque duæ proprietates in actibus voluntatis distinctæ sunt, et ideo nominibus etiam sunt distinguendæ, ne verborum ambiguitas disputationem reddat incertam. Potest ergo esse actus hominis voluntarius, ac subinde a coactione liber, qui tamen simpliciter liber a necessitate non sit, ut in amore quo Deus se amat, et quo Spiritum sanctum producit, et quo beati diligunt Deum, et in actibus indeliberatis voluntatis, et in affectibus appetitus sentientis videre licet. Ratioque satis constat ex dictis, his adjunctis quæ de ratione voluntarii Aristoteles et D. Thomas tradiderunt. Voluntarium enim dicitur quod est ab interno principio cum cognitione, quæ ratio tota potest in actu reperiri, quamvis ex necessitate fiat, quia sola necessitas non excludit cognitionem, nec conformitatem cum appetitu innato, vel elicito. Unde etiam ortum habuit communis illa theologorum doctrina, voluntati in actibus elicitis non posse vim aut coactionem inferri, etiamsi necessitatem pati possit. Nam coactio excludit voluntarium, illi enim directe opponitur; non potest autem actus esse a voluntate et non esse voluntarius, quia non potest non esse a principio intrinseco cum cognitione, nec potest simul esse voluntarius et coactus, quia hæc duo opponuntur et immediatam contradictionem involvunt; necessitas autem non involvit illam oppositionem cum voluntario, quia necessitas ipsa potest esse voluntaria, seu interno appetitui conformis, ut dictum est.

6. *Duo advertenda quoad modum loquendi necessaria ad intelligendos Patres.*—Primum. — Duo autem in hoc sunt, quoad modum loquendi, advertenda, quoniam ad intelligendas sententias Patrum erunt necessaria. Unum est coactionem duplicem esse; unam simpliciter, quæ absolutam et inevitabilem necessitatem contra internum affectum infert; alia secundum quid, qualis est quæ per pœnas vel timores fit, quæ non absolutam necessitatem, sed secundum quid, scilicet, ad vitandum tale incommodum, inducit. Prior ergo coactio est quæ omnino repugnat actui elicito voluntatis, quia, eo ipso quod est elicitus, jam non est coactus; posterior autem coactio esse potest cum absoluta voluntate, imo et cum libertate, cum absolutam necessitatem non inducat, et ideo licet interdum coactio aut violentia vocetur, ut patet ex August., lib. 1 contra Gau-

dent., c. 25, et epist. 48, simpliciter et absolute coactio non est, sed alicujus mali prohibitio, ut dixit idem August. lib. 2 contr. Litt. Petilian., c. 83.

7. *Secundum quod est observandum.*—Aliud animadvertendum est, interdum voluntarium actum ita esse necessarium simpliciter, ut ipsa necessitas ab intrinseco sit, ac subinde conformis sit inclinationi et perfectioni naturali ipsius voluntatis; et tunc actus, licet sit necessarius, ita est voluntarius ut nullo modo dici possit violentus vel coactus, quia nullo modo repugnat interno appetitui, neque elicito, quia actus, ut supponitur, voluntarius est, nec innato, quia ipsa necessitas non est etiam voluntati ejusve innatæ inclinationi contraria, ut supponitur. Et hoc modo amor Dei in beatis est necessarius sine ullo genere coactionis aut violentiæ, et affectus appetitus sentientis possunt in eodem ordine poni propter eandem rationem. Aliquando vero actus voluntarius potest esse necessarius tantum ab extrinseco efficiente, seu quasi impellente, et tunc licet actus sit voluntarius, et ideo non possit dici absolute coactus, nihilominus cum necessitas ipsa non sit conformis naturali conditioni et inclinationi voluntatis, eo quod sit tantum ab extrinseco, actus sic necessarius interdum solet aliquo modo violentus dici, saltem secundum quid, quia est contra modum connaturalem, et contra quemdam innatum appetitum. Et hoc modo necessitas immissa voluntati in actibus de se liberis vocari solet a Patribus coactio quædam; et e converso actus simpliciter liber vocari solet spontaneus et voluntarius, utique perfecte, et extrinsecam necessitatem interno appetitui seu inclinationi voluntatis repugnantem excludens.

8. *Liberum a necessitate dici solet, et de facultate operandi absque necessitate, et de ipsa actione.*—Liberum ergo in præsentī vocatur quod a necessitate liberum est: dici autem solet et de facultate operandi absque necessitate, et de ipsa actione. Priori modo denominatur arbitrium liberum, quod dicitur esse *facultas voluntatis et rationis*, utique ad operandum cum indifferentia et dominio actionis, ita ut in manu ejus sit velle aut nolle exercere vel sustinere actionem. De quo dixit August., lib. 2 de Pecc. merit. et remis., c. 18, *esse voluntatis arbitrium, quod huc atque illuc liberum flectitur, atque in eis naturalibus bonis est quibus homo bene et male uti potest.* Atque, in hoc sensu, de fide certum est hominem esse hoc modo natura sua liberum, seu habere ali-

quam facultatem a necessitate liberam in operibus suis, non solum naturalibus, sed etiam supernaturalibus, ut aperte definit Concil. Trident., sess. 6, cap. 5, et can. 5 et 6; et Scripturis et rationibus probat late August. lib. de Grat. et lib. arbit., et latius moderni de hac materia scribentes, et nos brevius in libro 1 de Auxil., a princip. Præcipue vero videri possunt eruditæ disputationes Cardin. Bellarmini in tota controversia de Grat et liber. arbitr., cum Præfatione.

9. *Unde liber actus denominetur.* — Hinc etiam actus qui ab hac facultate libera procedit, liber denominatur: oportet autem ut ab illa, ut indifferens est, procedat. Non enim defuerunt aliqui moderni Catholici qui negaverint ad libertatem actus esse necessariam indifferentiam, seu carentiam necessitatis, sed satis esse carentiam coactionis: sed hæc sententia reprobata est inter assertiones Michaelis Baii, assertion. 30 et 41, et in lib. 3 ex professo refutabitur. Ut ergo actus sit vere liber, non satis est quod sit voluntarius, seu non coactus; sed etiam ut non sit necessarius simpliciter, ac proinde ut procedat a potentia libera, ut indifferentiam et libertatem retineat, ut in ipso usu et exercitio libera et integra potestate sua sinatur operari, ita ut in manu ejus sit inter contraria vel contradictoria eligere, vel operari aut non operari. Quia, ut actus sit liber, necessarium est ut procedat a facultate libera, ut libera est; non procedet autem a potentia libera, ut talis est, nisi expeditam habeat suam facultatem quoad utramque partem, utique operandi et non operandi. Quid enim proderit ad libertatem talis actus, quod potentia innatam habeat indifferentiam, si in ipso usu impediatur? Quapropter, supposita distinctione data de duplici necessitate, altera ab intrinseco per naturalem determinationem potentiae ad unum, alia ab extrinseco per impulsu alicujus extrinseci agentis, prior repugnat non solum actui, sed etiam facultati liberi arbitrii, et ideo fieri non potest ut potentia libera tali necessitati subdita sit respectu ejusdem objecti, quia contradictionem involvit, ut per se notum est. Posterior autem necessitas non repugnat facultati liberæ, ut nunc suppono, et paulo post probabo; repugnat autem actui libero, quia, ut talis sit, oportet ut procedat a potentia, ut libera, vel quoad specificationem, vel saltem quoad exercitium, juxta modum quo actus liber fuerit, quia non habet quod sit liber, nisi per denominationem a suo proximo principio. At vero si actus procedat

a potentia necessitatem patiente, sive per intrinsecam necessitatem potentiae determinatæ ad unum, sive per extrinsecam necessitatem immisam potentiae de se liberæ, jam impeditur, et tollitur libertas actus; ita ut liber dici non possit, nec laude vel vituperio dignus, quia non procedit a potentia, ut libera est, nam ipsa non valet necessitatem illam auferre, vel prævenire, et ideo non potest illi imputari quod tali modo, et non alio operetur. Quam doctrinam satis clare docuit Concilium Tridentinum loco citato, et necessaria omnino est ad salvanda omnia quæ de humanis actionibus earumque libertate Scriptura docet. Ideoque censeo in hoc puncto non esse disensionem inter Catholicos, licet in modo explicandi et defendendi hanc libertatem possit esse aliqua diversitas.

CAPUT II.

QUÆ SINT NECESSARIA UT POTENTIA SIT LIBERA, ET LIBERE OPERETUR.

In superiori capite, solum voces seu loquendi modos explicavimus, nunc vero aliquid de re ipsa addendum et fundandum est, ut potest, in gratiæ auxiliis explicandis et cum libertate arbitrii conciliandis, solide et efficaciter procedere possimus.

1. *Prima assertio.* — *De ratione potentiae formaliter liberæ, qua talis, est ut sit potentia activa.* — Primum igitur omnium statuimus, de ratione potentiae formaliter liberæ esse ut, quatenus talis est, sit potentia activa. Est certa et communis assertio, quam probare possumus, primo, ex Scriptura; ubicumque enim libertatem arbitrii declarat, verbis utitur ad propriam potestatem agendi pertinentibus; ut est illud Ecclesiast. 15: *Ad quod volueris porrige manum tuam; et illud: Quæ enim odit ne feceris; et illud cap. 31: Qui potuit facere mala, et non fecit.* Item illud Zachar. 4: *Convertimini ad me,* per quæ verba libertatis nostræ admonemur, ut Concilium Tridentinum dixit; nemo autem seipsum convertit nisi agendo. Simile est illud Apocalyps. 3: *Si quis aperuerit mihi januam, intrabo ad illum;* nam verbum *aperiendi* efficientiam includit. Ac denique 2 Petr. 2: *Satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis;* et similia passim occurrunt. Secundo, id probamus ex Conc. Trid., sess. 6, cap. 5, ubi, cum dixisset homines vocari a Deo per gratiam, ut, *eidem gratiæ libere assentiendo et*

cooperando, in ipsum Deum convertantur, explicat illam liberam cooperationem dicens: *Ita ut tangente Deo cor hominis per Spiritus sancti illuminationem, neque homo ipse nihil omnino agat, inspirationem illam recipiens, quippe qui et illam abjicere potest. Neque tamen sine gratia movere se ad justitiam coram illo libera sua voluntate posset;* et ideo in can. 4 damnat dicentes *liberum arbitrium nihil cooperari assentiendo Deo excitanti, aut nihil omnino agere, mereque passive se habere.* Ergo, ex sententia Concilii, potentia passiva ad liberum usum non sufficit; est ergo libertas formaliter in potentia activa.

2. Tertio, idem probatur Patrum auctoritate; August., lib. 12 de Civit., c. 6 et 7, ubi, agens de causa actus mali, dicit ad voluntatem ipsam reduci tanquam ad causam efficientem et deficientem. Idemque docet lib. 1 de Liber. arb., a cap. 12, et l. 3, c. 1 et 2. Additque c. 3 *illud esse in potestate nostra, quod cum volumus facimus, quapropter nihil tam in nostra potestate quam ipsa voluntas est.* Quod repetit et confirmat libro 1 Retract., cap. 9 et 22. Non dicitur autem aliquid esse in potestate nostra propter potentiam passivam, sed propter activam, quam ipsum nomen potestatis significat. Unde idem Augustinus, libro 1 Retract., cap. 1, recognoscens verba quæ in quæst. 1 lib. 2 ad Simpl. posuerat: *Quamvis sit in cujusque potestate quid possit; ait ideo illa dixisse, quia non dicimus esse in potestate nostra, nisi quod cum volumus fit, ubi primum et maximum est ipsum velle. Sine ullo quippe intervallo temporis præsto est voluntas ipsa, cum volumus.* Unde etiam l. 83 Quæstionum, quæstione 8: *Moveri (inquit) per se animam sentit, qui sentit in se esse voluntatem: nam si volumus, non alius de nobis vult, et iste motus animæ spontaneus est; et quæst. 24: Nec peccatum, nec recte factum (ait) imputari cuiquam juste potest, qui nihil fecerit propria voluntate.* Et hoc modo ait utrumque esse in libero voluntatis arbitrio. Est ergo voluntas libera per potestatem activam, quam habet supra suos actus. Sic etiam dixit Damascenus, lib. 2 de Fide, cap. 25, ideo hominem esse liberi arbitrii, quia in sua potestate habet eas actiones quas libere operari dicitur; et ideo omnem deliberationem actionis causa suscipi; et addit in cap. 26: *In nostra potestate sunt ea quæ liberum nobis est facere vel non facere,* et alia quæ prosequitur, per quæ omnia docet libertatem in nobis esse per activam potestatem. Idem sumitur ex Anselmo, lib. de

Concept. Virg., cap 6; Bernard., lib. de Grat. et liber. arbit.; et citatur Nyssen., lib. 7 Philosoph., cap. 1 et 2; habet Nemesi, de Nat. hom., cap. 29, 39 et sequentibus.

3. Quarto, probatur ex scholasticis, et imprimis ex D. Thoma, 1 p., quæst. 82, art. 4, et quæst. 83, in corp. et ad 2. Item 1. 2, quæst. 9, art. 1 et 3, quibus locis ait voluntatem esse potentiam se et alias moventem per modum agentis, eandemque esse liberum arbitrium, quatenus ad utrumlibet potest seipsam movere. Idem habet quæstione 22 de Verit., art. 9, in corp., et ad 1, et quæstione vigesima-quarta, articulo quarto in corp., et ad 15, in qua solutione declarat expressius liberum arbitrium, ut tale est, esse potentiam non passivam, sed operativam. Idem tradit Capreolus 2, distinctione 24, quæstione 1, articulo 1, conclusione 5; et Scot. in 2, distinctione 25, in argumentis *Ad oppositum*, et in toto discursu quæstionis; Durand., distinctione 24, quæst. 2, num. 10, 19 et 34; Gregor., eadem distinctione, quæstione unic.; Henric., quodlib. 10, quæstione nona, ubi, parum a principio, ait voluntatem totam esse moventem et motam, sed moventem quatenus libera est, quæ libertas, ait, est formaliter in ipsa. Idem habet quodlib. 12, quæst. 17: *Ad hoc (inquit) quod aliquid dicatur esse vere ex libero arbitrio, oportet quod sit ab illo, ut a movente proximo, et sic voluntas est domina suorum actuum.* Bellarmin., lib. 3 de Grat. et lib. arb., cap. 10.

4. Tandem ratione declaratur, quam Scotus supra optime attingit: nam potentia libera est quæ in manu et potestate sua habet mutari, vel non mutari; nam hoc est esse dominam sui actus vel mutationis, in quo dominio libertas consistit. Hæc autem potestas non est in potentia passiva, ut passiva est; ergo oportet ut sit in potentia activa, quatenus activa est. Minor probatur, quia non est in potestate ac dominio patientis, ut tale est, quod patiat necne: hoc enim pendet ab agente, quia patiens ideo patitur, quia agens in illud agit. Actio enim infert passionem, et ordine naturæ vel rationis illam præcedit, et ideo talis est passio qualis est actio, et non e converso, loquendo causaliter et a priori. Ergo actio non est in potestate patientis, ut patiens est, id est, in dominio ejus, sed agentis; quia prius non est in potestate posterioris, sicut præceptum non est in potestate subditi, sed superioris; ergo etiam passio non est in potestate patientis, ut tale est, sed in